



**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1682**

21. Dies Decemb. Eamus & nos; & moriamur cum illo. Joan. 11.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

1022 Christiani Militis Decemb.  
in observando oculorum suorum fidere fixum, immo-  
tuinque detinet? Quid, me alicujus Berenices  
coma illaqueat, Quid, me corona honoris, fulgore  
suo percellit? Quid me voluptatis Lyra tam blan-  
dè demulceret? Quid me auratus divitiarum Aries,  
suâ luce perstringit? Quid hæreo in Pegaso humana  
eruditionis? Ah junge currum Sol justitiae Christe,  
Sol meus! induc rutilantes crines; diffunde radios, &  
flammatibus rotis invehere in cælum cordis mei:  
omnesque illas, quas enumeravi, exiguae sanè lucis  
guttas, exuberantis fulgoris tui mundatione ab-  
sorbe. Tum etiam cæteros affectus; qui tanquam  
planetæ, vago, errantique cursu, in animo meo lu-  
cebant, tuâ claritate extingue: & effuga à me Satur-  
ni pigritiam, Jovis superbiam, Martis iracundiam,  
Mercurii fallacieam, Veneris lasciviam, Lunæ levita-  
tem. Exorere, ô Sol meus, supra horizontem cordis  
mei, & terrificas timoris mei umbras expelle! Quid  
sunt stellæ, sine luce; nisi informes globi? quid sunt  
virtutes, sine gratia tuæ lumine; nisi deformia vitia?  
Da mihi amore tui lucere, & ardere, ô amor meus!  
ardor meus! ô lux mea! ô Deus meus!

*Lux decorat flores; sic Christi Gratia mores.*

## 21. DIES DECEMBER.

Eamus & nos; & moriamur cum illo. *Ioan. II.*

Laus S. I. Thomæ.

**P**Ræmittimus Christo volenti pro  
nobis nasci, Thomam volentem  
pro Christo mori. Hæc pauca  
impavidi Thomæ verba; quem-  
cunque etiam infantem, redderent verbosissimum

Ora-

Decemb.

Tessera.

1023

Oratorem, si quæ in recessu abdita latent, penetremus: *Moriamur cum illo?* Quàm multa, quàm paucis! sed Thoma, fortalsè magnificientius, quàm veniùs illa jaētas? forsante fugit, quid sit è vita fugere? ignoras, quid sit mori? Morsterribilium omnium est terribilissimum. *Moriamur?* Nihil corām illo potest esse terribile, qui terret ipsum Terrorem. Sed memineris, multos toto contremuisse corpore; toto exhorruisse animo, adituros vel pericula mortis, quid obituros mortem? Hæc dicas militibus, qui nihil secum deferunt in bellum, præter animum imbellim? scias te alloqui Thomam, hoc est, militem Christi, sub cuius signis stipendum facere, est pericula, ut eveniant, cum voto expetere; cùm evenerint, sine metu excipere. Quid, si lictor securi te feriat? feriat lictor, perferat Thomas, etiam tunc securissimus, dum subjiciam cervicem securi? Quid, si sævus carnifex lento supplicio te torqueat in equuleo? vel sic ligatis pedibus curram per stadium, ut apprehendam bravium? Quid, si Tyrannus, omnem ex omnibus venis, inusitatâ carnificinâ extorqueat sanguinem? quâ datâ portâ ruat ex omnibus ejus potis copiosè languis. Tali sequitur de vulnere vita. Potius miserabilis est, qui sic cædit, quàm qui sic cadit.

I I. Quid, si bustuarius aliquis gladiator, aut sanguinarius lanista totum corpus subjiciat flammis? Dum minaris flamas, jam totum, ut totus torreat, it pectus in flamas. Unus mihi est ardor, pro Christo ardere. Non tam cupidè se volutavit vel Heliogabalus in rosis, vel Sardanapalus in plumis; quàm ego pro Christo in flammis. Hæc pio percitus æstro Thomas pro Christo, tū conversus ad socios, illis classicū

cane-

1024      *Christiani Militis*      Decemb.  
canere: Agite, inquit, Commilitones; ad eam deduc-  
ti sumus necessitatem, ut nos jam oporteat prodere  
nostram, vel cum formidine ignaviam, vel cum au-  
dacia constantiam. Jam nolle lequi Christum, inex-  
piabile erit probrum. Quid timemus coram illo,  
quem timent omnia timenda? quid nos terret? peri-  
culum! quasi verò tunc futuri simus à periculis exti-  
mii, quando ab eo erimus remoti; sine quo nec ipsa  
secura est securitas. Affectandum esset cum illo mor-  
tiendi periculum, & ultrò oblatum fugiemus? Cer-  
tum cum illo habemus morituri solatum; habebi-  
mus mortui præmium. Ambirent alii, quod nos im-  
belles metuimus. Præ ipsa optandum est vita, mor-  
tel coram illo: quid pro illo? Imò nihil in tota vita  
est misrius ipsâ vitâ, si Christo mortuo vivamus.  
An forsan interpretamini miseriam, desinere esse mi-  
serum? quid dicet tota posteritas; dum intelliget  
Christum, quos sibi elegerat in vita discipulos, non  
habuisse in morte socios?

III. Vos meticulosi, per me licet, fugite? infe-  
quetur fugientes perfidia, infamia; & quæ illius est  
comes, pœnitentia. Stabo ego, & sine metu perstabo  
in gradu, non priùs stationem deserturus; quam me  
vita deserat. Cum illo ero, non tantum contra peri-  
cula audax; sed inter pericula latus. Itaque, vel ab  
illo vivus stabo, vel pro illo morteus cadam. Quid  
dico? vivet etiam post mortem Thomas: modò  
Thomâ mortuo, vivat Christus. Ubi nunc est vox  
tua Petre; quâ nunquā locutus es de Christo verius,  
pro Christo fortius? (a) *Tu es Christus, Filius Dei vi-  
vi.* Si Filius Dei, igitur Auctor vitæ; igitur & vita  
nostra

(a) *Matth. 16.*

mb.  
dedu-  
odere  
m au-  
inex-  
n illo,  
peri-  
is exi-  
ec ipsa-  
omo-  
Cer-  
abebi-  
os im-  
mori-  
ra vita  
amus.  
Tem-  
elliger-  
, non  
infe-  
us est  
rabo  
m me  
a peri-  
vel ab  
Quid  
modo  
st vox  
erius,  
Dei vi-  
e vita  
olstra

Decemb.

Tessera.

1025

nostræ Dominus : si Dominus ; nos pro illo mori non tantum decet, sed oportet. Quare, vel refugere pro illo vitæ amittendæ subire discrimen, summum est crimen. Imò scelus est, vel dubitasse; at cum illo velimus mori; quid nolle mori? vos; si lubet, quod non licet, capescite fugam; mihi certum est, pro illo oppignorate vitam. Mori pro Christo, est nasci cœlo. Talis mortis digna est, quæ non deploretur, quasi luctuosa epicediis; sed celebretur, quasi gloriosa epiniciis. Hæc Thomas cotam Christo, & pro Christo; vir in causa Christi promptus, nihil non audere. Sic loqui, non est hominis fortis; sed ipsius fortitudinis. Nos, dum expectamus Christum nasciturum; ardore simili, verba proferamus dissimilia. Eamus, & nos, & nascamur cum illo? Eamus, non cum Apostolis in Jerusalem; sed cum Pastoribus in Bethleem, & tanquam modò geniti infantes nascamur cum illo. Moriamur mundo, innascamur Christo, ut æternum vivamus Deo.

*Ex te Christe satus, fælici est sidere natus.*

## 22. DIES DECEMBER.

Nemo tibi Christum potest auferre; nisi te illi auferas. *Ambrosius super Lnc. l. 5.*

Suspiria I. ad Christi adventum. **I**n uno Christo, nos habere omnia; salus est omnium, nisi salvati nolentium. Sed & hæc est summa nostra fælicitas, non modò Christum nobis esse bonum; sed nec illud posse à quoquam, unquam aut usquam auferri; nisi nos ipsi auferamus. Nemo enim Christum amitterit; nisi qui à se de-  
*Pars III.* Tertmittit.